



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 1. An Fidejussor plus obligari possit, quam debitor Principalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

lus de obligat. iustit. p. 2. l. 8. q. 2. sect. 3. late Menoch. de arbit. casu. 432. n. 2. & alii; censent tamen aliqui, quod Creditor non debeat probare versionem in utilitatem Ecclesiæ, quando pecunia à Præfato cum Capitulo recepta est mutuo; sic Anton. Genuens. in pract. Eccles. q. 139. n. 2.

1895 Præter hæc not. verba in: *quod quibusdam*; & illa: *mandamus ad unversos extendi*; nam cum lex, de qua fit mentio in c. *Quod quibusdam*, porrigeretur tantum ad certos, & quosdam Religiosos, ne possent fidei iurare, in aliis locum non habebat, etiam data similitudine rationis, ut tradit Suarez de legibus, l. 6. c. 13. n. 2. quem citat, & sequitur Barbosa. in dict. c. *Quod quibusdam*, n. 2. Pontifex volens etiam porrigi ad alios, novo canone fecit extensionem, ut in præfenti c. *quod quibusdam*.

§. 1.

An Fideiussor plus obligari possit, quam debitor Principalis?

1896 **N**otand. in hac quæstione ly plus dupliciter intelligi posse; 1. an fortius? seu majori vinculo? & ad hoc diximus affirmativè; Deinde, an etiam ad usuras? & de hoc constat à n. 1893. 3. an ad aliam rem, vel ad quid amplius obligari possit, quam debitor principalis; & ad hoc 2. quod communis regula neget, ut habetur L. 8. §. 7. & 8. ff. h. t. & §. 5. Instit. de Fideiussor: ibi: *Fideiussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quam debet is, pro quo obligantur; nam eorum obligatio accessio est principalis obligationis, nec plus in accessione potest esse, quam in principali res;* at ex diverso, ut minus debeant, obligari possunt; itaque si Reus decem aureos promiserit, Fideiussor in quinque recte obligatur: contra vero obligari non potest; item, si ille pure promiserit, fideiussor sub conditione promittere potest: contra vero potest; non solum autem in quantitate, sed etiam in tempore, minus, aut plus intelligitur; plus est enim, statim aliquid dare; minus est, post tempus dare. Hinc ubi principalis obligatio nullo modo est, nec est obligatio Fideiussoris, si autem fideiussor se ad plus obliga-

ret, quam Principalis, valeret quoad debitum principale (nam stipulans querenti ad 10. respondens de 20. tenetur ad 10. L. 11. & 12. ff. de constitut. pecun.) non quoad excessum; hinc quando cit. L. 8. §. 7. dicitur, tales *omnino non obligari*, idem est, ac *non obligari in solidum*.

1897 Not. autem, quando dicitur, *accessionem* fidei iussionis nullam esse, non existente obligatione, cui intendit accedere; debere intelligi; non existente saltem illa, etiam jurisdictione; alias verum non esset, pupillum, pubertati proximum, ex contractibus sine Tutoris autoritate celebratis, ne quidem naturaliter obligari, cujus tamen fideiussor obligetur; nam licet ille pupillus, privilegio juris, naturaliter non obligetur, tamen ex natura rei, potuisset obligari, nisi leges restitissent; leges autem nolunt favere fideiussori, adcoque non irritant illam pupilli obligationem in ordine ad fideiussorem gravandum (possunt enim obligationes tolli quoad unum effectum, & relinqui quoad alium) recte inferimus, obligationem naturalem in pupillo fictione juris extiteret.

§. 2.

An culpabilis mora Debitori noceat fideiussori?

1898 **R**esp. Quod, cum obligatio Fideiussoris se ipsa pendeat ab intentione, & animo se obligandi, saltem in foro conscientie, ad id solum tenebitur, ad quod se intendit obligare. Ceterum, si res, qua sub obligatione est, culpabili mora debitoris principalis pereat, fideiussor æque, ac principalis ad ejus æstimationem tenebitur, quia præsumitur in totum intercessisse. L. 58. ff. de fideiuss. ibi: *cum factis suo Reus principalis obligationem non persequatur, etiam Fideiussoris durat obligatio; veluti si moram fecerit in Stichis solvendo, & is decesit, & L. 91. §. 4. ff. de V. O. ubi ratio redditur, quia in totam causam sponderunt.*

1899 Quæstio est, an in tali casu Fideiussor teneatur ad usuras, vel alias accessiones, aut poenam à debitore principali adiectam? 2. quod non, etiam si expresse, saltem generaliter, ad omnem exentum, se ob-